tonos abest. continebitur inter triten diezeugmenon & paramesen semitonium minus. Diatoni
cum igitur genus in hoc quoque tetracordo & pentacordo iam expletum est. ut tetra cordi
quidem eius quod est netes diezeugmenon ad paramesen diatesseron consonantia sit.
pentacordi uero eius quod est netes diezeugmenon ad mesen. diapente sit consonantia.
Enarmonium uero adque chromaticum genus hac ratione texemus. Sumo distantiam netes
& paranetes diezeugmenon diatoni. id est iiii lxxii. & iiii cccclvi. est eorum differentia.
ccclxxxiiii hanc diuido et fit cxcii. hanc sumam & ei quae est paranete diezeugmenon
diatonos adiungam id est iiii. cccclvi. fiunt. iiii. dcxlviii. haec erit paranete diezeugmenon
cromatica. BB. geminatis litteris adnotata. distans a nete diezeugmenon tono & semi
tonio. id est tribus semitoniis. continens ad triten diezeugmenon dudum quidem diatonicam
nunc uero chromaticam id est. iiii dccclxxxviii. semitonium reliquum. Ab eo tono quod diui
sum est. inter paraneten diatonum diezeugmenon. & triten diatonon diezeugmenon.
& fit aliud reliquum ex tetracordo semitonium. inter triten diezeugmenon
cromaticam. & paramesen quod scilicet ex diatesseron consonantia relinquitur. ea quae est
inter neten diezeugmenon & paramesen subtractis duobus tonis. quos nete die
zeugmenon & trite diezeugmenon chromatica continebant. Quae autem
in diathonico genere trite diezeugmenon diatonica est. in cromatico autem
trite diezeugmenon cromatica. ea in enarmonio genere paranete diezeugmenon
enarmonios dicitur integros enim duos tonos distat ab ea quae est nete diezeugmenon
& notatur. AA. & inter neten diezeugmenon & paraneten enarmonion diezeugmenon
nulla inter est corda atque ideo paranetes uocabulo nuncupatur. Semitonium
uero quod est inter paraneten enarmonion diezeugmenon & paramesen.
id est inter. AA. & EX. acritione partimur. ut fiant duae diesis, sumo differentiam paranetes
enarmonii diezeugmenon. & paramesen id est. iiii. dccclxxxviii. & iiii xcvi. eaeque
cc. viii. hanc diuido. fiunt. ciiii. hos appono iiii. dccclxxxviii fient. iiii. dccccxcii;
ea erit trite diezeugmenon enarmonios. Z. littera pernotata. huius igitur tetra
cordi per tria genera discriptionem subter adieci superiusque dispositum hyperboleon
tetracordo. aggregaui uti tetracordi utrorumque una discriptio & paulatim uncta
dispositionis totius forma consurgeret.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. p.%20111 – Boetii geometria et musica (http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/p.%20111)